

VERSION LATINE

Comment Protagoras en est-il venu à étudier la philosophie ?

Protagoram, uirum in studiis doctrinarum egregium, cuius nomen Plato libro suo illi incluto inscripsit, adolescentem aiunt uictus quaerendi gratia in mercedem missum uecturasque onerum corpore suo factitauisse, quod genus Graeci ἀχθοφόρους¹ uocant, Latine baiulos appellamus. Is de proximo rure Abdera in oppidum, cuius popularis fuit, caudices ligni plurimos funiculo breui circumdatos portabat. Tum forte Democritus, ciuitatis eiusdem ciuis, homo ante alios uirtutis et philosophiae gratia uenerandus, cum egrederetur extra urbem, uidet eum cum illo genere oneris tam impedito ac tam incohibili facile atque expedite incedentem, et prope accedit et iuncturam posituramque ligni scite periteque factam considerat petitque ut paululum adquiescat. Quod ubi Protagoras, ut erat petatum, fecit atque itidem Democritus acruum illum et quasi orbem caudicum, breui uinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animaduertit, interrogauit quis id lignum ita composuisset, et cum ille a se compositum dixisset, desiderauit uti solueret ac denuo in modum eundem collocaret. At postquam ille soluit ac similiter composuit, tum Democritus, animi aciem sollertiamque hominis non docti demiratus : « Mi adolescens, inquit, cum ingenium bene faciendi habeas, sunt maiora melioraque quae facere mecum possis », abduxitque eum statim secumque habuit et sumptum ministrauit et philosophias docuit et esse eum fecit quantus postea fuit. Is tamen Protagoras insincerus quidem philosophus, sed acerrimus sophistarum fuit ; pecuniam quippe ingentem cum a discipulis acciperet annuam, pollicebatur se id docere quam uerborum industria causa infirmior fieret fortior.

Aulu-Gelle, *Nuits Attiques*

¹ Mot grec, ici à l'accusatif masculin pluriel, qui signifie « portefaix ». Dans la traduction, on écrira : « *achthophorous* [portefaix] ».